

magisque exquisita illis irruit, quam his, illis etiam acutior, his vero e contrario putrida.

- §. 9. Verum cum hujus perniciosae febris causae exitiales tales sint, talia sane remedia excogitare debet medicinae optime peritus, quibus languentes scienter mederetur citissime extra corpus tempore opportuno illas expellens, nisi natura benigna praeveniens illas eliminat, nullum enim aliud remedium miseros homines, male perniciose febricitantia afflictos, curare valet, de iis quae medici excogitarunt, quae etiam dixerunt, quod causam hujus perniciosae non depellat; neque venae sectio unquam adjuvat, immo valde nocet, vel in diurnam tertianam illos convertit; nihil enim malignitatis exitialium humorum eliminat, frustra autem per hanc evacuationem corpus debilitat, humorum etiam perniciosorum propensiones atque excretiones inhibet (a). Quum igitur ea non sint utilia, immo vero frustranea; his ergo auxiliabuntur remedia, quae concoctionem istorum humorum tempestivam praeparant, quae etiam corpus humidum & meabile reddunt, quae simul putredinem noxiam ab humoribus arcent, atque inflammationem, perniciosae illius valde exitiosam filiam. Attamen sola ea numquam feбри hac afflictis, auxilium adferunt,

(a) Optime de his et solide I, A. D. Tissot *opusc. medic.* Tom. I. de febribus biliosis pag. 96 sequi. qui gravissimos etiam auctores in hac re consentientes ibidem citat.